

nus ascendit propter glorificationem nostram, et misit Spiritum sanctum ad novæ legis promulgationem et confirmationem, et ad perfectam ejus gratiæ communicationem quam nobis meruerat; ergo, eadem ratione, non debuit cessare lex vetus, donec ista omnia mysteria perficerentur. Unde nihil urget confirmatio; nam lex etiam vetus et cæremoniæ ejus non tantum mortem et resurrectionem, sed etiam Ascensionem, Spiritus sancti Adventum, vocationem gentium, et alia mysteria nostræ salutis prophetabant et significabant: ergo vel sistendum est in morte, vel ultra resurrectionem progrediendum. Neque vero necessarium fuit ut omnes figuræ illius legis implerentur ante abrogationem ejus; alioqui non cessasset, donec multa alia mysteria complerentur, quod nimium et absurdum est; alias usque ad ultimam resurrectionem hominum non fuisset mortua, quia illam etiam præfigurabat. Non fuit ergo necessarium ut omnes figuræ essent impletæ, sed illæ quæ erant de præcipuis mysteriis; neque etiam hoc solum attendendum est, sed maxime ad promulgationem necessariam ad novæ legis introductionem, et exclusionem alterius.

25. *Lex vetus non fuit abrogata usque ad diem Pentecostes.*—Dico ergo tertio: lex vetus non fuit abrogata toto tempore post resurrectionem usque in diem Pentecostes. In hac propositione non invenio contradicentem, extra allegatos auctores, neque etiam invenio difficultatem aut rationem dubitandi, supposita resolutione in puncto præcedenti tradita. Quia non fuit lex nova promulgata in illis quinquaginta diebus post resurrectionem, magis quam in die Resurrectionis, ut ex Evangelio et Actibus Apostolorum constat: ergo nec lex nova magis obligare incepit in illis diebus usque ad Pentecostem exclusive, quam in resurrectione: ergo nec lex vetus illis diebus abrogata est. Utraque enim consequentia evidens est ex principiis positis: et ideo nihil amplius de hac assertionem dicere necesse est, nec difficultatem in illa invenio, cui respondere necesse sit. Per has autem propositiones omnes, solum explicatum est quibus temporibus non fuerit abrogata lex vetus, et consequenter illam obligasse usque ad diem Pentecostes, saltem exclusive. Superest ergo dicendum an in die Pentecostes desierit obligare, vel saltem cœperit abrogari.

26. *Punctus difficultatis aperitur.*—*Triplex modus dicendi.*—*Primus.*—*Secundus.*—*Tertius modus dicendi verus est.*—*Hæc sen-*

tentia approbatur.—In hoc ergo puncto tres modi dicendi esse possunt. Primus est, legem veterem in die Pentecostes fuisse omnino mortuam, id est, pro universo mundo, et pro quocumque loco in quo erant Judæi dispersi. Hæc vero sententia habet difficile fundamentum, videlicet, legem novam tunc obligasse universum orbem, quod nobis verisimile non videtur, pertinet vero ad librum sequentem, et ideo in illum locum impugnationem illius fundamenti remittimus, quo destructo, ruit jam hic modus dicendi, ex alio principio supra posito, quod lex vetus non desit obligare nisi quando lex nova obligare incepit. Secundus modus dicendi est legem veterem obligasse Judæos usque ad perfectam Evangelii promulgationem, ideoque in die Pentecostes nec mortuam fuisse, nec cœpisse abrogari. Hæc vero sententia supponit duo principia: unum est, legem veterem non fuisse mortiferam usque ad illud tempus; aliud est, non prius fuisse mortuam quam mortiferam, quæ duo inferius examinanda sunt: nam hic non possent sine confusione tractari, et ideo sententiam hanc falsam esse supponimus, quod capite decimo-octavo ostendemus, impugnando præcipue illud secundum principium. Tertius modus dicendi, est abrogationem legis veteris cœpisse in die Pentecostes, non tamen simul factam esse pro toto orbe, sed successive crevisse, crescente promulgatione legis novæ, consummatamque esse quando legis novæ promulgatio pro Judæis saltem consummata est. Quæ fuit sententia Bonaventuræ, Scoti, et sequacium in 4, distinct. 3; sumiturque ex Bernardo, Epistol. 77, et Hug. de Sancto Victor., lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 4. Et illam existimo esse veram ex illo principio, quod obligatio legis veteris exclusa est quasi formaliter respectu Judæorum per obligationem legis novæ. Quod ex parte in superioribus probatum est, scilicet, quoad hanc negationem quod non prius desierit obligatio alterius. Quoad aliam vero partem quam includit, videlicet, nunquam durasse, seu permansisse simul obligationem utriusque legis, ostendetur in capitulo decimo-octavo, quia oportet prius alia declarare. Et ulterius pendet hæc sententia ex alio fundamento, nimirum, obligationem legis novæ ita fuisse in mundum introductam, ut non simul universum obligaverit, sed in die Pentecostes cœperit in Jerusalem, et postea successive creverit, prout Evangelii verbum divulgabatur. Hoc vero fundamentum in libro sequenti tractandum est, et ideo

de hoc puncto nihil in præsentis amplius dicam.

CAPUT XIV.

UTRUM LEX VETUS NON TANTUM MORTUA, SED ETIAM MORTIFERA SIT.

1. *Duplex revocatio.*—*Mortua lex quæ.*—*Mortifera quæ.*—*Sententia communis.*—*Confirmatur.*—Duobus modis potest lex aliqua revocari. Primo, quasi privative tantum, aufereudo solum imperium et obligationem ejus; secundo, quasi contrarie, prohibendo usum ejus etiam materialiter, ut sic dicam, id est, prohibendo opus illud quod antea præcipiebatur, vel præcipiendo quod prohibebatur. Quando igitur lex priori tantum modo abrogatur, dicitur mortua; quando vero posteriori modo tollitur, dicitur mortifera, quia illius observatio mortem animæ afferret. Est igitur sensus, utrum non solum non teneantur Christiani legem illam servare, verum etiam teneantur illam non servare. Et ita quæstio universalis est de omnibus Christianis, tam ex gentibus, quam ex Judæis originem trahentibus, quia eadem est ratio de omnibus. Non est tamen ita universalis quæstio de omnibus præceptis illius legis. Nam de præceptis moralibus certum est non esse mortifera, cum potius necessarium sit illa præcepta servare in lege evangelica. De judicialibus etiam docet divus Thomas, dicta quæst. 104, art. 3, non esse mortifera, licet sint mortua: cujus sententiam in hoc omnes sequuntur. Et potest usu confirmari, quia nonnulla præcepta judicialia retinentur nunc in lege evangelica, ut sunt aliqua impedimenta matrimonii, quota decimarum, et similia. Ratioque redditur, quia judicialia non ordinantur per se ad significandum, sed ad politicam utilitatem, etiam secundum speciales ac proprias rationes suas, et ideo simpliciter possunt ad eundem usum acceptari ab habentibus potestatem.

2. *Difficultas de cæremonialibus.*—*Ratio dubitandi.*—Tota ergo hæc quæstio ad cæremonialia præcepta revocatur, an in lege gratiæ non solum mortua sint, sed etiam mortifera. Ratio autem dubitandi esse potest, quia si mortifera sunt, hoc debet oriri ex aliquo præcepto positivo, naturale enim non est, ut per se constat, quia observare illam legem non erat per se et intrinsece malum: unde si Deus voluisset, potuisset illam simul cum Evange-

lio relinquere. Oportet ergo ut prohibitio positiva sit; at hæc nulla apparet: aut enim est juris divini aut humani; non primum, nullibi enim scriptum est, nec traditum, quia tempore Apostolorum non erat tale jus divinum, ipsi enim observabant legalia, ut videbimus. Secundum etiam et habet eandem difficultatem, et non satis est: nam si hæc esset tantum præceptum humanum, posset revocari illud, et legalia servari, quod dici non potest.

3. *Mortiferum nunc legis veteris cæremonias servare.*—Nihilominus dicendum est esse mortiferum nunc servare legis veteris cæremonias. Hæc assertio est certa de fide, eratque jam temporibus Augustini et Hieronymi, ut constat ex Epist. 89 Hieronymi, et 19 Augustini. Unde cum Hieron. in Epistola Augustini legisset licere Judæis ad fidem conversis legalia cæremonias servare, ausus est ad Augustinum scribere se legisse in sua Epistola aliquid quod sibi hæreticum videbatur; Augustinus autem respondit explicando mentem suam fuisse loqui de illo duntaxat tempore quo primum gratia fidei revelata est. Et addit progressu temporis factam esse mortiferam illam legem. Magnaque asseveratione affirmat Hieronymo se nunquam aliud sensisse, et ante Hieronymi admonitionem, scribendo contra Faustum, ita mentem suam declarasse, sentiens dogma hoc pertinere ad fidei veritatem. In eadem sententia est Ambr., Epist. 4 et tribus sequentibus; sunt etiam alii Patres infra referendi; et in cap. *Majores*, de Baptism., opposita sententia vocatur hæresis damnata, utique in Cerintho, Ebione, et Nazaræis, fere a principio nascentis Ecclesiæ, teste Hieronymo supra, et consentiente Augustino, qui in libro de Hæresibus ait hoc ex Ecclesiæ traditione constare. Præter hoc vero potest fundari hæc veritas in testimoniis Scripturæ, quibus ostendimus legem veterem cessasse, adjuncta Ecclesiæ intelligentia, quæ interpretatur ita cessasse, ut non solum non obliget, sed etiam non liceat, nec Deo placeat usus illarum cæremoniarum, juxta illud Psalmi 39: *Sacrificium et oblationem noluiisti*, etc. Quod ita interpretatus est Paul. ad Hebr. 10, et late prosequitur Justin., Dial. cum Triph.; et Aug. in enarratione ejusdem Psalmi. Et eodem modo expendit Hieronymus testimonium supra tractatum, Jer. 31: *Ferriam, vel, consummabo domum Israel, et domum Judæ testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui Patribus eorum*. Ex quo colligit Hieron. legalia esse mortifera

non tantum gentibus, sed etiam Judæis, quibus Deus ibi dicit disposuisse testamentum novum, per quod vetus ita rumpitur ut eo uti non liceat, sicque sentit esse intelligendam ponderationem Pauli ad Hebr. 6.

4. *Triplex usus legalium.*—Ut autem eandem veritatem ratione et doctrina declaremus, adverte triplicem posse distingui usum legalium: unus vocari potest omnino formalis, seu formalissimus, alius omnino materialis, tertius quasi medius, partim materialis, partim vero formalis. Primus usus est, si legalia fiant eodem spiritu, seu eadem credulitate et cogitatione qua a Judæis fiebant. Et in hoc usu possunt distingui tres gradus. Unus, si legalia fiant, ponendo in eis spem salutis, ac si per ea posset homo justificari apud Deum, et quasi ad hunc effectum sufficerent essentque necessaria, et de tali usu constat esse mortiferum ac valde perniciosum, quia est contra evangelicam veritatem, et contra necessitatem redemptionis Christi, juxta illud Pauli ad Galat. 2: *Si ex lege justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Unde etiam est illud Pauli ad Gal. 5: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Quod maxime de hoc usu exponit Augustinus, et plane colligitur ex verbis quæ statim Paulus subjungit: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini.*

5. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices hinc sequi talem usum legalium, ponendo spem in cæremoniis legis, semper fuisse illicitum, etiam eo tempore quo maxime vigeat et obligabat illa lex; nunquam enim justificare potuit; ergo in illa spem justitiæ ponere semper fuit illicitum, et gratiæ Christi etiam venturi contrarium. Respondeo: si justificatio sperata fuisset virtute illorum sacramentorum, et ex efficacia legis per se et sine Christo spectatæ, concedo semper fuisse damnatum talem usum. Si vero speraretur ex fide Christi protestata seu significata per illa sacramenta, sic quoad circumcisionem saltem non erat ille usus malus, vivente illa lege; nunc autem mortifera est, cujus ratio constabit ex c. 18 et ult., et hic est secundus gradus hujus formalis usus. Tertius autem et valde etiam formalis esse potest, si præcepta illa serventur ut adhuc præfigurantia seu promittentia Messiam venturum. Sic autem continet talis usus perniciosum mendacium, et procedit ex manifesta hæresi, quod Messias promissus nondum venerit, contra quam alibi disputatum est ex professo. Est præterea alius usus ad hunc ordinem pertinens, si illa legalia fiant,

abstrahendo quidem a significatione futuri, tamen ut permanentia adhuc sub præcepti divini necessitate. Et de hoc etiam usu est certissima conclusio; et ratio ejus est, quia ille usus etiam procederet ex errore fidei contrario. Ostendimus enim esse de fide legalia abolita esse et mortua; at vero quando fiunt illa intentione et opinione, creduntur adhuc vivere vel quoad obligationem, vel quoad institutionem, et totum hoc erroneum est. Relinquitur ergo omnem formalem usum legalium esse perniciosum et malum, tanquam fidei et veritati contrarium.

6. *Materialis talis usus legalium quis.*—Materialis usus est, si res illæ, quæ per legem veterem præcipiebantur, in usum assumantur, tum sine spiritu aut credulitate illius legis tanquam durantis, tum sine intentione cultus, sed ob alium finem vel commoditatem. Et hic usus non est per se et intrinsece malus, sed de illo judicandum est juxta intentionem operantis, et alias circumstantias. Loquendo enim in genere, duplex intentio hic excogitari potest. Una est commoditas tantum corporalis, ut, verbi gratia, si quis ad curandum morbum tondeatur, vel abstineat ab aliquo cibo, aut aliquid simile faciat, et quod per se damnari aut reprobari non possit; solum ergo in hujusmodi usu cavendum est scandalum, in reliquo enim nulla est per se malitia, dummodo revera bona fide procedatur. Alia intentio esse posset ad simulandum vel occultandum fidem, vel obligationem ejus. Quomodo videtur Hieronymus dixisse, aliquando fuisse licitum talem usum propter vitandam turbationem infirmorum in fide, contra quem argumentatur Augustinus, quia videtur sequi nunc etiam fore licitum talem usum, si occasio similis occurrat vitandi scandalum alicujus neophyti, quod omnino judicat esse falsum et erroneum, et pro certo supponit non fuisse a Hieronymo admittendum. Quod sine dubio ita est; nam ipse ad summum dicit ex dispensatione aliquando id licuisse, quod an sit verum dicam c. 16, et inde constabit ratio a priori ob quam talis usus malus est, ex quo legalia ita cessarunt, ut etiam mortifera facta sint.

7. *Tertius usus legalium.*—Tertius usus, quem voco medium, est si cæremoniæ veteris legis fiant ex intentione cultus, et tanquam religiosæ cæremoniæ, non quidem spiritu illius legis, nec tanquam habentia in illa fundamentum, sed vel ex proprio arbitrio, vel ex aliqua consuetudine humana, vel ex præ-

cepto et institutione Ecclesiæ. Et ideo voco hunc usum medium, quia, respectu legis veteris, materialis est, et tamen, quoad illam intentionem cultus, formalis dici potest in generali ratione religionis, et de hoc usu est nonnulla controversia inter scholasticos, an sit omnino mortiferus, sive privata, sive publica auctoritate fiat. In quo duo dubia tanguntur. Unum an talis usus possit interdum licere propria auctoritate, seu devotione, sine alia dispensatione; aliud dubium est an sit hic usus ita prohibitus, ut non possit Ecclesia illum permittere.

8. *Sententia Cajetani de circumcissione.*—In priori puncto, Cajetanus, 3 p., q. 37, art. 1, dicit non esse mortiferum uti circumcissione, si fiat sine spiritu legis veteris, solum ex quadam intentione imitandi Christi. Quia pia videtur, et non habere intrinsecam malitiam, neque involvere errorem aut mendacium. Et aliunde non apparet jus positivum divinum aut humanum quo talis prohibitio sit facta. Adducit etiam Cajet. consuetudinem Æthiopum, seu Indorum Joannis Presbyteri, vulgo *del Perste Juan*, qui circumciduntur, et non propterea censentur schismatici vel hæretici: unde talis consuetudo non videtur damnabilis, quia nec per se mala est, nec scandalum affert in illis regionibus, nec nobis debet afferre, quia in his rebus indifferentibus liberum est unicuique provinciæ suæ consuetudine uti. Illi autem non utuntur circumcissione ut legali, et ideo neque obligantur ad totam legem, nec intentione legis ea utuntur, nec inde sperant justitiam, sed solum materialiter ea utuntur; ut sic autem indifferens est secundum se, additaque extrinseca intentione honesta, fiet bona. Et ab hac sententia non discordat Medina dicta quæst. 103, art. 4, ad 5, quia Ecclesia tolerat illam consuetudinem. Alii vero moderni illam extendunt ad privatam usum, ita ut liceat alicui circumcissionem sumere propter mortificationem, vel alium similem finem.

9. *Contraria sententia vera.*—Nihilominus sententiam hanc Cajetani improbavi in 2 tom. 3 partis, dicta q. 37. in Comment., art. 1; et similiter improbat Soto, lib. 2 de Justit., q. 5, a. 4, in fine corporis. Neque approbat Salmon. ad Gal. 5, q. 2; et Valentia, 2 tom., disputat. 7, q. 7, punct. 7, et alii. Et sumitur ex D. Thoma 4, dist. 1, q. 2, a. 5, quæstiunc. 3, ad 3, quatenus dicit non posse honestari usum circumcissionis ex quocumque fine honesto, quia ex prohibitionem factus est malus, et actus

malus non honestatur propter bonam intentionem. Item ex eodem, 1. 2, q. 103, art. 3, et 2. 2, q. 87, art. 1, quatenus differentiam constituit inter cæremonialia et judicialia, quod illa sint mortifera, non vero hæc. Quod necesse est intelligi de utrisque materialiter spectatis respectu legis Moysi, tum quia servare judicialia quasi ex necessitate legis Moysi, vel propter significationem quam in ea habebant, est mortiferum; tum etiam quia expresse dicit judicialia non esse mortifera, quia possunt imitari seu acceptari ab aliqua republica propter commoditatem humanam, qui usus plane materialis est; ergo hunc etiam censet prohibitum in cæremonialibus. Et cum absolute et indifferenter loquatur, universaliter profecto loquitur, et maxime circumcissionem comprehendit, quæ erat ex præcipuis cæremoniis. In his autem omnibus supponit D. Thomas illum usum cæremonialium esse nunc prohibitum. Quod nondum generaliter probatum est. Et ideo in speciali de circumcissione, et de illo modo utendi illa, potest reddi ratio, quia ritus ille non potest a superstitione excusari, esto a judaico errore excusetur.

10. *Declaratur tradita doctrina.*—Quod declaratur in hunc modum: qui circumciditur ob Christi imitationem, vel in ea intentione respicit Christum ut suscipientem circumcissionem tanquam sacramentum quoddam a Deo institutum, et sic vel non evitat superstitionem judaicam, vel fallitur et eluditur, ac subinde in superstitionem incidit; probatur, quia non potest sic conformari Christo, nisi intendat suscipere circumcissionem, ut sacramentum a Deo institutum, et hoc pertinet ad judaicum errorem; vel si hoc non intendit, non potest conformari Christo, ut suscipienti sacramentum, et sic vana est et superstitiosa intentio. Vel per illam intentionem respicit Christum solum ut affectum illo corporali vulnerare, seu cicatrice, et sic quidem non est propria judaizatio, tamen est vana superstitio, quia conformitas in illa sola materiali seu corporali læsione aut affectione, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem honorem Christi cedit, et ita est cultus superstitiosus et vanus. Aut denique per illum actum intendit conformitatem ad Christum in passione illius doloris, et sic etiam est vana et illicita intentio, quia si circumcisio in infanzia suscipiatur, ut conformitas ad Christum requirebat, sic nullus fructus animæ est in tali conformitate, quia nullum ibi est meritum, nec satisfactio, nec passionum mortificatio;

nec aliquid simile, et alioqui corpori nocere potest. Unde ulterius etiam in ætate adulta non esset rationalis intentio illius conformitatis, quia non est licitum homini partem corporis abscindere, vel manum perforare, ut in illo dolore et passione Christo conformetur. Nec etiam est prudentiæ opus velle imitari Christum materialiter, ut sic dicam, in omnibus suis actibus; alioqui celebremus Pascha et comedamus Agnum paschalem, quia ipse hoc fecit, et similia, quæ absurda plane sunt; sed in his imitandus est Christus formaliter, ut sic dicam, id est in obedientia proportionali, ut, sicut ille servavit legem quæ ad tempus illud pertinebat, ita nos nobis datam servemus, etc. Neque obstat consuetudo illius nationis aut tolerantia Ecclesiæ: nam Ecclesia permissive se habet, quia in illo actu in rigore non invenitur error pertinens ad doctrinam, vel judaismum; error autem practicus, et moralis non est tam clarus, ut non potuerit tolerari, et per ignorantiam excusari, eo vel maxime quod gens illa gravioribus laborat erroribus a quibus hactenus non potuit per Ecclesiam emendari.

41. *Nulla ratione licet uti ulla cæremonia legis veteris.* — Atque ex resolutione hujus puncti, generaliter colligo nunquam esse licitum alicui Christiano vel alicui privatæ communitati Ecclesiæ, suo arbitrio ac privata devotione, uti aliqua cæremonia legis veteris ex intentione cultus, etiamsi nullus adsit animus observandi legem, nec utendi tali cæremonia in significatione legali. Et consequenter sequitur legalia nunc esse mortifera per se loquendo, etiam quoad usum hunc quem medium vel mixtum appellavimus. Ita plane sentit D. Thom. in loco supra citato ex 4, quia non de sola circumcissione, sed generaliter loquitur, dicens nunquam fieri licitas tales cæremonias ex intentione bona, quia malæ jam sunt propter prohibitionem. Idemque sentiunt communiter theologi in 4, d. 3, Soto, et alii supra citati, videturque sufficienter probari usu et traditione Ecclesiæ. Item quia talis usus semper habet speciem mali, non ex accidenti tantum, sed quasi per se, supposito Ecclesiæ statu. Denique est optima ratio, quia si talis usus in una vel altera cæremonia ex sola intentione operantis possit excusari vel approbari, eadem ratione in qualibet et consequenter in omnibus, quia non est major ratio de una quam de aliis. Potest vero contra hoc objici cap. unic. de Purific. post part., ubi Innocent. III inquit, licet mulieres post par-

tum non teneantur ab ingressu templi abstinere propter legem Moysi, si tamen abstinere voluerint, devotionem earum non esse improbandam. Respondetur tamen facile, separationem illam seu abstinenciam ab ingressu Ecclesiæ propter aliquam corporalem immunditiam vel indecentiam, non pertinere ad cæremoniam legalem, sed ad honestam circumspectionem et moralem prudentiam. Nec cæremonia legis consistebat in sola illa separatione, sed in modo et observatione dierum, et in aliis cæremoniis quæ in die ingressus et purificationis fiebant. Quod magis in sequenti puncto declarabitur.

12. *Aliud dubium, quid potest Ecclesia circa hoc. — Pars affirmans.* — Hinc enim statim suboritur aliud dubium propositum, an saltem, Ecclesiæ auctoritate interveniente, possit talis usus permitti aliqua ex parte, sive per dispensationem, sive per legem definitentem seu acceptantem talem cæremoniam pro Ecclesiæ usu. Nam partem affirmantem suadere videtur exemplum Apostolorum, qui præceptum dederunt fidelibus, etiam conversis ex gentibus, abstinendi a suffocato et sanguine, Actor. 15, quod tamen ad cæremonias veteris legis pertinebat. Nec refert quod id fecerint propter vitandam offensivam Judæorum, et eo tempore quo legalia nondum erant mortifera, ut paulo post videbimus. Non, inquam, hoc satisfacit, quia illa observantia duravit in Ecclesia usque ad tempora Sylvestri, ut constat ex Concilio Gangren. eo tempore celebrato, cap. 2; et post illa etiam tempora fuit renovatum illud præceptum in Conc. Aurel. 2, cap. 20, et Conc. Wormac., cap. 69. Nec apparet ratio cur non possit Ecclesia illam abstinenciam præcipere, sicut alias præcipit; ergo eadem ratione poterit aliam cæremoniam usurpare, si ad ornatum vel ad alium effectum aptam esse judicaverit. Sic enim multa cæremonialia Ecclesia instituit ad imitationem legalium, ut constat ex c. 2, c. *Sicut*, cap. *Solemnitates*, cum aliis, de Consecr., d. 1.

13. *Pars negans.* — In contrarium vero est, quia hoc modo non magis essent mortifera nunc præcepta cæremonialia, quam judicialia, contra D. Thomæ sententiam a theologis communiter receptam. Sequela patet, quia præcepta judicialia observata nunc ut legalia etiam sunt mortifera; dicuntur autem non esse mortifera, quatenus illæmet actiones possunt per legem humanam renovari et præcipi; ergo si hoc etiam potest licere in cæremonialibus, non

magis sunt mortifera quam illa. Dices hoc esse licitum in judicialibus generaliter, et non solum per ecclesiasticam legem, sed etiam per civilem; in cæremonialibus raro posse id fieri, et non nisi per legem ecclesiasticam. Sed hæc differentiæ non satisfaciunt, quia si licet renovare unam vel alteram cæremoniam, secluso spiritu et significatione legali, cur non singulas et omnes? Nulla enim sufficiens ratio reddi posse videtur. Si autem hoc admittatur, parum referret quod hæc cæremonialia per solam legem ecclesiasticam renovari seu acceptari possint, et non per civilem, quia id non proveniet ex majori cessatione cæremonialium quam judicialium, sed ex eo quod materia cæremonialis seu religionis ad solam potestatem ecclesiasticam spectat. Ergo non videtur posse illa differentia sustineri, nisi dicendo judicialia ita esse mortua quoad legem veterem, ut possint per humanam legem propter suam utilitatem conservari et introduci; cæremonialia vero nullo modo possint, ideoque non solum mortua, sed etiam mortifera esse dicantur. Et confirmari hoc potest ratione qua divus Thomas probat differentiam illam, videlicet, quia judicialia non sunt præcepta principaliter propter significationem, sed propter aliquam utilitatem politicam, vel moralem; cæremonialia vero sunt principaliter propter significationem. Et ideo priorum instauratio fieri potest sine præjudicio veritatis fidei, non vero posteriorum. Ecclesia autem non potest aliquid instituire aut renovare quod sit in præjudicium fidei, et falsam significationem contineat: ergo nulla cæremonialia instaurare potest.

14. Resolutio hujus dubitationis pendet ex alia, nimirum, an hæc prohibitio sit ex jure divino, vel ecclesiastico, seu apostolico, quod dubium melius tractabitur in c. 17; et ideo ibi melius explicabimus immutabilitatem hujus institutionis, et consuetudinis quam Ecclesia habet vitandi usum cæremoniarum legalium tanquam mortiferum et a Deo reprobatum. Nunc ergo solum dicimus Ecclesiam non posse cæremonias illas resuscitare seu admittere, saltem quoad eas quæ erant quasi fundamentales, et substantiales, qualia erant sacrificia, sacramenta et sacerdotium; tum quia reputaret institutioni legis novæ; tum etiam quia in istis erat principaliter significatio futurorum. De aliis vero secundariis cæremoniis quæ sacra vel observantiæ dicuntur, non est tam certum quod non possint ab Ecclesia usurpari; nihilominus tamen simpliciter ita loqui

possumus, quia vel nulla est talis potestas; vel si est, nunquam potest convenienter ad actum revocari; vel si interdum potest, solum est in aliqua re minima, et propter rationem moralem potius quam cæremonialem, quæ exceptio non impedit quin regula dicta generaliter constitui possit. Hanc vero doctrinam totam in dicto capite explicabimus et confirmabimus.

15. *Quæ cæremonia etiam legis naturæ mortifera esse possint. — Quas cæremonias accidentales accipere potest Ecclesia.* — Ex dictis vero possumus obiter inferre non solum veteris legis cæremonias, sed etiam illas quæ esse poterant in lege naturæ, et prout in illa erant quasi substantiales, vel tanquam signa specialia alicujus fidelis congregationis, etiam cessasse et esse mortifera in lege nova. Explicatur, quia in lege naturæ poterat esse aliquod sacramentum in remedium originalis peccati: velle ergo nunc tali sacramento uti extra Baptismum, perniciosum esset. Similiter erant tunc sacrificia, et consequenter sacerdotium illi tempori accommodatum; hæc igitur et similia tentare in Ecclesiam Catholicam inducere, mortiferum esset, neque ulla humana auctoritate licitum fieri potest. Non quidem propter significationem futurorum mysteriorum quæ jam facta sunt; nam fortasse non erat in illis cæremoniis talis significatio, sed quia talis usus repugnaret institutioni sacramentorum, et sacrificii novæ legis, ut in tertio tomo tertie partis latius declaravi. Ex aliis vero accidentalibus cæremoniis quæ ad ornatum ordinantur, accipere potest Ecclesia quascumque rationi consentaneas et institutioni Christi non repugnantes, sive antea in lege naturæ in usu fuerint, sive non fuerint; hoc enim nihil ad honestatem refert, ut per se constat.

CAPUT XV.

AN LEX VETUS FUERIT SEMPER MORTIFERA POST INCHOATAM EVANGELII PROMULGATIONEM.

1. *Controversia inter Hieronymum et Augustinum.* — Diximus præcepta cæremonialia mortifera esse in lege gratiæ, quia usus illorum non solum jam non est præceptus, verum etiam est prohibitus; tractandum nunc superest quando illa prohibitio habuerit initium. Ubi simul tractanda est celebris controversia inter Hieronymum et Augustinum, qui in hoc puncto diversas habuere sententias, quas inter se epistolis mutuo missis disputa-